



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Baptismi Minister.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**



Titius neque rebaptizandus est masculus, qui pro femina fuit baptizatus, imposito nomine, quod imponi consuevit feminis potest enim aliquis propria auctoritate, nomen, per se loquendo, commutare, *tom. 1. de Bapt. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 1. & seq.*

## ADDITIO.

Quæres: Sitne ratus Baptismus collatus in nomine genitoris, geniti & procedentis ab utroque. Glossi *in c. multum de consecr. n. 4* putat esse ratum, quam sequitur Palud. *in 4. d. 3.* & Cajet *in q. 66.* Verum probabilior est sententia D. Thomæ, Alberti Sot. *n. 4 d. 3.* & Petri Sot. *lect. 5. in Enchiridio Sacerdot.* non esse ratum Baptismum, quem vide.

## Baptismi Minister.

16 Duplex est Baptismi Minister, videlicet Minister ex officio seu solemnitatis, & Minister necessitatis. Minister ex officio est Sacerdos, ita ut illicite baptizet, qui cum non sit Sacerdos, tamen solemniter baptizat; usurpat enim sibi alienum officium. *tom. 1. de Baptismo, disp. 2. q. 2. p. n. 1. & seq.*

17 Minister Baptismi in necessitate, est omnis homo, habens usum rationis, potensque & sciens debitam formam proferre, & materiam applicare. Potest ergo femina baptizare, ut obstetrices ratione necessitatis; deinde etiam hæreticus, imò Paganus, modo intentionem habeat baptizandi, anima amen separata à corpore, non potest valide baptizare, quia non est homo: similiter neque Angelus ob eandem rationem, absque divina dispensatione, ut diximus v. *Sacramentum.* Adverte graviter peccare eum, qui baptizat extra necessitatem, cum non sit Sacerdos; & qui non est proprius parochus, non potest baptizare solemniter, sine licentia Episcopi, vel proprii parochi. Adverte prætereà servandum esse aliquem ordinem in necessitate, in administrando Baptismo, videlicet ut præsentem viro femina non baptizet. & c. *ib. n. 4 & seq.*

18. In baptizante requiritur necessariò intentio baptizandi; hinc fit ut ille valide non baptizet, qui solum habet intentionem jocandi, & irridendi. *ib. n. 13. & 14.*



19. Valetne Baptismus, quando quis intendit reportare lucrum, vel infantem occidere? Valet, si intenderit verè baptizare; nam finis extrinsecus non tollit intentionem requisitam ad sacramentum. *Ibid. n. 15.*

20. Requiritur ulterius, ut Minister adhibeat debitam materiam & formam, illamque sciat applicare. *Ibid. n. 16.*

21. In Baptismo unus adhibendus est patrinus; possunt tamen duo adhiberi, si unus sit masculus, & alter femina. *Ibid. nu. 19.*

22. Denique Baptismus collatus alicui jam baptizato, non est validus. *Ibid. n. 21.*

### A D D I T I O.

Quæres: Utrum mutus & mancus verè baptizent, si ille abluat, hic verba proferat: videtur enim quod sic, quia non necessariò minister exprimi debet in forma; siue ergo per unum, siue plures sint, baptismus verus erit baptismus. Cajet. *in q. 67. 3.* S. Thomæ & Mars. *lib. 4. sent.* putant verum esse baptisma, sed rectius D. Thom. Alenf Scot. Palud. Sot. Ledesm. *in 4 d. 4.* negant communiter. Ratio eorum est, quia neuter eorum baptizat: non mutus, quia non profert verba, nec mancus, quia non abluat. 2. Mancus proferens verba, & dicens: Ego baptizo, vel baptizamus, mentitur: ergo non verè baptizat. Nec valet, quod respondet Cajetan. baptizo idem esse, quod confero sacramentum baptismi, vel applico formam materiæ. Nam baptizo est idem, quod ego te abluo, quod certè ille non facit; deinde non confert baptismi sacramentum, nisi qui applicat simul materiam, & formam, quod etiam ille non facit.

### Subiectum Baptismi.

23. Subiectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore, siue sit infans, siue sit adultus, siue sit vir, siue femina. Hinc colligitur Satyrum, aut genitum ex femina & bruto non esse capacem Baptismi; secus dicendum de monstro genito ex viro & femina; quod baptizandum est; quod si constet duplici anima rationali, (ut si habeat duo capita cum uno pectore, vel duo pectora sub uno capite,) duplex Baptismus conferendus est; unus absolute in ea parte,